



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **SANCTI IOSEPHI** ECCLESIAE CATHEDRALI SANCTO
IOSEPHO DICATAE IN DIOECESI
SANTI IOSEPHI IN CALIFORNIA, BASILICA MINORIS DIGNITAS TRIBUITUR Ad perpetuam rei memoriam. – Sancti
Iosephi cultum libentes sane promovimus, «ut erga universae Patronum Ecclesiae pietas in omnibus christifidelibus
augescat necnon in Redemptorem ipsum amor cui ille ceteris praefulgens in exemplum deserviit» (*Redemptoris custos*,
1). Laetantes igitur accepimus postulationem Venerabilis Fratris Rolandi Petri DuMaine, primi Episcopi dioecesis Sancti
Iosephi in California, qui enixe petiit ut suum templum cathedrale Sancto Iosepho dicatum ab Apostolica Sede titulo
Basilicae Minoris honestaretur. Audito quidem consilio Congregationis de Cultu Divino et Disciplina Sacramentorum,
certiores facti omnia instituta ad cultum sollemnorem necessaria ibi accommodata esse, Apostolicae Nostrae potestatis
plenitudine statuimus ut ecclesia cathedralis Sancto Iosepho dicata in dioecesi Sancti Iosephi in California in posterum
dignitate Basilicae Minoris frui possit, iuribus additis et privilegiis huiusmodi templorum propriis, servatis iis quae
servanda sunt secundum Decretum «de titulo Basilicae Minoris» die IX mensis Novembris anno MCMLXXXIX evulgatum.
Quae vero concedimus, volumus nunc et semper firma esse, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus. *Datum*
Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXII mensis Decembris, anno MCMXCV, Pontificatus Nostri
duodecimmo. ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana